



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

24. An si Confessarius habeat evidentiam, quod pœnitens fecerit tale peccatum, & si non est confessus, debeat illum absolvere? Ex p. 3. tr. 4. res. 104. alias 105.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

RESOL. XXIII.

An in casu, quo Confessarius debeat praeberere absolutionem sub conditione, sufficiat, quod conditio sola mente sistat? Ex part. 10. tr. 11. & Misc. 6. Ref. 55.

Sup. hoc supra in tr. 3. lege doctrinam Ref. 16. prope finem §. 1. verf. & sufficeret in his casibus, & quamvis non plenè. Sup. hoc vide tamen, in tom. 4. tr. 3. doctrinam Ref. 156. ad medium, & ex Ref. 177. §. 2. ad fin. 4. & in tom. 3. tr. 2. ex Ref. 149. §. 1. prope finem, à verf. & voluntas. & in Ref. 156. à principio.

§. 1. **N**egativè respondet Caramuel in *Theolog. mor. lib. 3. num. 1495.* ubi sic ait: Illa verba sub conditione saltem mentaliter concepta militant contra Sacramentale forum poenitentiae quod per signa sensibilia debet administrari. Non sufficit, quòd poenitens peccata mente concipiat, sed requiritur absolutè, quòd illa externo aliquo signo, ita explicet, ut Confessarius numerum, & speciem quantum fieri possit, dignoscat. Fatcor, Sacerdotem Confessario notum, si in peccatum aliquod fragilitatis, v. g. fuerit lapsus, sufficienter confiteri suam culpam, dicens: Meechatus sum; nec requiritur, quòd sacrilegij circumstantiam, tametsi mutan-tem speciem verbis confiteatur; illam enim confitetur tam clarè, ut Confessarius non possit illam non intelligere; quòd si esset Confessario ignotus, deberet hanc circumstantiam ita explicare, ut sacrilegij malitia Confessario innotesceret, puta dicendo, voto obstrictus sum, sum Religiosus, sum Subdiaconus, sum Diaconus, vel sum Sacerdos; quia in omnibus istis gradibus unam, & eandem speciem servandae Castitatis obligationem reperio. Ergo à fortiori Confessarius debet suam mentem extrinsecè manifestare, non solum nutibus & signis; sed ex institutione Christi, verbis. Ergo, quando datur absolutio, debet fieri per verba absoluta; & quando conditionalis per verba conditionalia: non igitur sufficit conditio pura mente concepta. Confirmatur: Quia forma Sacramenti Poenitentiae consistit in verbis, non in intentione; hæc enim non est forma, sed dispositio, aut conditio sine qua non ex parte agentis requisita: ergo qualia fuerint verba, talis erit absolutio: ergo conditionalis, si conditionalia; absoluta, si absoluta. Confirmatur iterum: Poenitens habens peccata dubia non bene confitetur, si absolutè diceret, se commisisse illa peccata, sub conditione mentaliter concepta: ergo nec Confessarius bene absolvet, si verbis absolutis sub conditione mentaliter concepta. Confirmatur tertio. Intentio debet verbis correspondere, ergo si illa sit conditionalis, hæc conditionalia debent esse & si hæc absoluta fiat, illa debet esse absoluta. Alias enim non esset verborum & mentis conformitas; & verba illa plus mendacij, quam absolutionis haberent. Ita Caramuel.

2. Sed contra illum dicendum est cum communi, & vera sententia, quòd casu eveniente, in quo Poenitens conditionatè, & non absolutè est absolvendus; poterit non solum validè, verum etiam licitè Confessarius, proferendo formam, in sola mente retinere conditionem. Probat non solum à posteriori ex Praxi, secundum quam Confessarij docti, & prudentes id exercere solent, vel conditionem exprimendo in ipsa prolatione formæ, vel solum conditionem retinendo in mente; sed etiam probatur à priori ex institutione nostrorum Sacramentorum; quæ, ut statuitur in Florentino, in Decreto Unionis, tribus consciuntur, videlicet, rebus ut materia, verbis ut forma, & intentione Ministri; ita ut deficiente uno ex his, irritum sit Sacramentum. Quamvis igitur forma consistat in verbis; nihilominus vigorem non habet, nisi prout subsistat in intentione Ministri; & idèò etiam si Minister eam proferat absque intentione actuali, aut veniali

conficiendi Sacramentum; nihil efficit: mensurantur enim quodammodo verba per ipsam intentionem; & sic si conditionata erit intentio, conditionata eximatur forma; licet secundum verba grammaticaliter videatur absoluta. Et hæc est fundamentalis ratio pro nostra sententia, per quam possumus etiam solvere argumentum principale, in quo ipse Caramuel suam fundat sententiam. Dicitur ergo, Sacramentum esse administrandum per signa sensibilia, non præscindendo tamen ab intentione, à qua in sua efficacia determinantur. Et hæc omnia docet Bardj, de conscientia, discept. 6. cap. 11. part. 4. §. 9. num. 10. Qui etiam postea respondet ad argumenta Caramuelis. Rectè itaque sic asserit Cetrus Palaus, tom. 4. tract. 23. disput. unica punct. 20. §. 2. num. 4. Pueri accedentes ad Confessionem, diligenter examinandi sunt; an satis capaces existant absolutionis recipiendæ: Sunt enim plures, qui, esto, peccare sciant; peccata confiteri nequeunt; quos tamen non expedit statim dimittere, sed Confessoris monitis, & diligentia instruenti sunt. Qui si instructionem non percipiunt, neque de peccatis, prout par est, doleant; concessa benedictione, & imposita aliqua poenitentia, absque absolutione Sacramentali dimittantur, maxime quando in illo peccato mortali adstringuntur; hæc enim via & Confessioni assuefient, & paulatim instruentur. Si vero mortale peccatum falsi fuerint; diligentius investigandum, & procurandum, ut dolorem debiti illius concipiant, & absolutioni recipiendæ se disponant. Quòd si nec sub dubio capaces absolutionis existant; monendi sunt, ut dispositiones debite incumbant, iterum pro absolutione recipiendæ reverturi. At stante dispositione, omnino absolvi debent, præcipue si vigeat aliqua necessitas, sub conditione tamen mente retenta. Ita Palaus; qui citat Zambranum, & Layman quibus etiam adde Angelum Bossium in *Mor. tom. 1. part. 1. tit. 1. §. 25. num. 166.* Vide etiam Leandrum, de Sac. tom. 1. tract. disp. 5. quest. 48.

RESOL. XXIV.

An si Confessarius habeat evidentiam, quod poenitens fecerit tale peccatum, & si non est confessus, debeat illum absolvere? Ex part. 3. tract. 4. Ref. 104. alias 105.

§. 1. **R**espondendum est negativè, quia licet Confessarius, qui non habet evidentiam facti, sed solum novit ex aliorum relatu, vel vidit quidem peccatum, sed non ei constat, quòd non fuerit interea confessus, alteri non potest negare absolutionem, quia poenitenti creditur pro se, & contra se; secus autem, ut præsupponimus in casu nostro quando Confessarius scit poenitentem peccasse, & non confessum fuisse. Et ita docent Henriquez lib. 6. cap. 20. n. 6. Sylvius in addit. ad 3. part. 9. art. 2. queritur 3. concl. 3. quia non est pronuntianda forma Sacramenti, ubi certò constat subiectum esse indispositum, & Confessor non solum est iudex, sed etiam medicus. Et hoc etiam tenent Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 32. sect. 3. Fagundes prac. 2. lib. 6. cap. 4. men. 38. & novissimè Sancius in *Selectis, disp. 8. num. 6. & seq.*

2. At his non obstantibus, noster Megala in 1. p. lib. 1. c. 2. num. 12. contrariam sententiam tuetur, ubi asserit in multis casibus excusari poenitentem à materiali integritate confessionis, & in eisdem casibus etiam secundum doctrinam Suarez, si interrogetur à Confessario poenitens, an peccatù commiserit, confiteat

De Absol. Sacrament. Ref. XXV. &c. 239

fiteri non teneri, posseque penitentem absque mortali negare. Ergo quando Confessarius ex propria scientia evidenter scit penitentem aliquod peccatum mortale commississe, ac evidenter etiam scit non esse confessum, & penitens negat illud commississe, potest aliquando Confessarius credere penitentem illud negare; non quia non commiserit, sed quia credit non teneri tunc illud confiteri; ergo tenetur tunc hoc sibi persuadere, & penitentem absolvere, si in aliis est penitens ritè dispositus, alioquin gravem illi injuriam faceret. Ita Megala, qui alias rationes pro hac firmata sententia adducit. Sed circa præsentem questionem præter DD. citatos, vide etiam Toletum lib. 3. c. 16. n. 4. Navarrum cap. 8. n. 17. verb. 21. Fumum verb. Confessio, §. 17. & 20. D. Antoninum p. 3. tit. 14. c. 18. §. 15. Sylvestrum ver. confessio 3. n. 8. & alios.

RESOL. XXV.

An excommunicatus, si Sacramentum Penitentiae recipiat, validè absolvatur? Ex p. 5. tr. 9. Ref. 53.

Alibi ego fusè hoc dubium pertractavi cum multis Doctoribus, quibus nunc visum est addere Moscosum in sum. tr. 16. c. 2. n. 2. ubi sic asserit. [La dificultad en este caso està en si el descomulgado tolerado, y el denunciado y no tolerado recibiesen el santo sacramento de la penitencia, si es valido: Cosa muy cierta es, que si el tal descomulgado sabe que lo està y sin absolverse, ni confessar la descomunion, ni hazer caudal della confessia, que el tal no va dispuesto, pues ponit obicem sacramento & gratia, procurando recibirle contra el mandado y precepto de la Iglesia, el sacramento es nulo. Pero casos ay en que aunque està descomulgado, y no absolviendo recibiendo el sacramento de la Penitencia, sea valido. Lo primero quando ignora invinciblemente, y sin culpa que està descomulgado, entonces sin duda recibe el sacramento, y la gracia, como si ignorasse invinciblemente alguno otro pecado, y no le confessasse. Lo segundo si confessando sus pecados con olvido natural inculpable, no se acuerda de la descomunion, y mas dicen algunos Autores que aunque esta ignorancia sea en alguna manera culpable, como se halla en algunos que no les passa por la imaginacion, que poner las manos en un Clerigo de prima tonsura es pecado, ni que trae aneja descomunion, o no: advierten las descomuniones que se ponen contra los que hurtan la fruta, o no saben, y no consideran que es pecado mortal pedir absolucion de los pecados, y no de la descomunion, y si la tal ignorancia, y olvido es culpable, no anula la confession de tal manera que sea necessario boluella a hazer, aunque como los Theologos dicen, aquella Confession seria informe, y no se ha de boluer a reysterar, solo ay obligacion de confessar la negligencia, y olvido que tuvo en confessar la descomunion, y pedir la absolucion della primero. Verdad es, que si la negligencia, y olvido fuesse crassa enteramente, y afetada, que es de proposito no queretlo saber, la confession seria invalida. Lo terçero, si el penitente confessasse sus pecados, y la descomunion, y pidiese absolucion della, y despues el Confessor se olvidasse de absoluelle della, y absolviessse de solos los pecados, la confession seria valida y daria gracia, pues el penitente hizo de su parte, todo lo que devia. La razon desta verdad es (como està dicho) porque la Iglesia no tiene dados por invalidos los sacramentos que recibe el descomulgado, y assi hemos de

Juzgar del, que recibe el sacramento de la Penitencia descomulgado, como del que recibe en otro qualquiera pecado, que si llevan ignorancia invencible, reciben gracia, y si con ignorancia vulgò crassa del pecado, descomunion le reciben informe, y sin gracia.] Ita ille, & ego.

RESOL. XXVI.

An blasphemus consuetudinarius, & admonitus scipius in aliis confessionibus sit statim absolvendus? Et an teneatur acceptare aliquam penitentiam, si forte postea blasphemet? Idem queritur de jurante falso ex consuetudine. Et docetur non esse consilium bonum, si Confessores jurare, vel promittere faciant penitentes, aliquam penam subire, si reinciderint in aliquod peccatum, & ideo neque debent Confessarii exigere à suis penitentibus juramenta, vel vota desistendi ab aliquo crimine. Ex p. 6. tract. 6. & Milc. 1. Ref. 30.

§. 1. **C**ausas sunt satis practicabiles. Et quoad primum negativam sententiam docet Medina in sum. lib. 1. c. 14. Lopez in instruct. part. 1. cap. 2. Sayrus in Clavi Regia lib. 5. c. 5. n. 8. & Suarez de Religione tom. 2. lib. 3. cap. 8. n. 7. ubi sic ait. De proposito credendum est penitenti, non obstante quacunque præcedenti frequentia, & inconstantia ejus: quia sicut potuit mutari in malum, ita etiam in bonum; & ipse est sui accusator, defensor & testis. Supposito autem tali proposito observandum est, ut si homo habeat aliquas externas occasiones moraliter inducentes illum ad tenerè jurandum illas auferat; alioquin non sufficienter disponetur, si proxima sint, & sine magno incommodo auferri possint. Deinde si sæpius proposuit emendari, & non fecit, adhibenda sunt remedia sufficientia, quæ ipse tenebitur acceptare judicio Confessoris: denique si hæc non sufficerent, interdum erit utile differre absolutionem per aliquot dies, in quibus cogatur attentius vigilare, & contrariam consuetudinem aliquando inchoare. Ita ille.

2. Sed ego loquendo de rigore affirmativæ sententiæ adhaereo, quam tuetur Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 32. n. 45. & Castrus Palays tom. 3. tract. 14. disp. 1. punct. 9. n. 6. ubi ita asserit. Verùm mihi probabilius est, quando nullam eurtam appropiasti ad emendam, & admonitus fuisti sæpè in aliis confessionibus, adhuc te posse in rigore statim absolvi, si verè doleas de præteritis, & de futuris emendationem proponas; quia ob peccata quæ non pendunt ex occasione extrinseca, sed ex fragilitate peccatoris, non est differenda necessariò absolutio penitenti: quia eo ipso quoddam de peccatis dolet, remouet omnem occasionem, & periculum horum præceptorum, quod periculum situm erat in prava voluntate & affectu. Ita ille.

3. Quoad secundam verò dubitationem. An blasphemus consuetudinarius, vel juranti falso sit conventiens imponere, v. g. jejunium, eleemosynam, si forte postea blasphemet, vel juret, & ille teneatur exequi? Et circa hanc questionem affirmativè respondet Suárez ubi suprà, ut patet; sed nullam rationem pro sua sententia adducit. Sanchez autem negat in summa tom. 1. lib. 3. c. 5. n. 17. quia aliis peccatis id imponi non est solitum: neque jure aliquo probatur hoc procedere quoad consuetudinem.

4. Verùm Castrus Palays loc. cit. putat, si talis pena sub conditione reincidentis imponatur, eo solo casu teneris exequi, quando tamen alio remedio non poteris ad extirpandam consuetudinem: si enim aliis remediis

Sup. hoc in Refol. seq. §. 1. & 2. & in Refol. 1. post seq. §. Sed difficultas, & infra in tr. 7. lege doctrinam Ref. 125. per totam, & signatur à lio. 5. & in fine 1. Vnde veri deducitur, & §. ult. & infra in tr. 6. Ref. 19. in principio, sed lege eam per totam, & infra in hoc ipso met. tr. Ref. 30.

Sup. hoc in Refol. hor. præteritis, §. Notandum, & seq. & infra in tr. 6. Ref. 3. §. ult. Sed ne defetas legere eam per totam, & alias Refol. ejus primæ annotation. & latè ibi in Refol. 19. §. 1. post medium, à veri. Quod si sæpè. usque in fine præteritis Ref.

Sup. hoc in tr. 6. Ref. 30.